

terrâ editum, & filium ejus Mannum originem gentis conditoresque. De Manno scribunt, quod omnes Germaniæ gentes inter tres suos filios distribuerit, & quosdam illorum appellaverit *Ingævones seu Vigævones*; quosdam *Hermiones*, & quosdam denique *Isthævones*, quæ nomina apud *Tacitum & Plinium*, (qui *Vindelicos* s. *Vandalos & Pincinos* addit,) occurrunt. Sub nomine *Hermionum* videlicet comprehenduntur *Svevi & Hermunduri* aliiqve populi, quos tamen, cum ad præsens institutum non pertineant, recensere necessum non est. Illos autem *Svevos & Hermunduros* *Plinius H.N. lib. IV. c. 14.* expressis verbis ad *Hermiones* refert, quod ita capiendum videtur, ut *Hermunduri* dicantur per *Svevos* ab *Hermionibus* descendere. Siquidem non tantum *Paulus Orosius lib. 1.* quinquaginta quatuor *Svevorum* gentes esse scribit, qui majorem Germaniæ partem tenuere, ut inde aliqui *Svevum* nominarent, cum *Germanum* dicere vellent. Confer *Hein. Glarean. ad Jul. Cæs. lib. IV. Comm.* Sed etiam *Corn. Tacitus* l. c. non unam *Svevorum* gentem esse memorat, majorem Germaniæ partem ab iis inhabitari propriis nationibus ac nominibus discretis asserens. *Rhelic. in Annot. ad Jul. Cæs.* quas nationes discretas post transitum in *Rhetiam* recenset *Carionis Chronicon*, quod dum ex mente *Taciti* *Svevos in æquilonares, australes, orientales & littorales* distingvit, *Hermunduros* ad australes expressè refert. *lib. IV p. m. 397.* Hæc de prima *Hermundurorum* origine, sed multa in ejusdem scrutinio probabili conjectura tantum nituntur, quæ certam nobis fidem facere, ut in ejusmodi rebus fieri solet, nequeunt.

§. 5. Quoad nominis originem nobis arridet illa derivatio, quæ illud tanquam germanorum è germanica quoque lingua deducit, ut idem sit, quasi *Heer munter* sive *im Heer munder*, vel quasi *Heermann* & in plurali *Heermänner* sive *Heermänder*. Quod deinde Romani ad genium suæ lingvæ Latinæ terminatione conformarunt, & ipsos *Hermanduros* (uti illos *Plinius* scribit,) vel *Hermunduros* dixerunt. Quam conjecturam confirmare videtur *Cæsar in IV. Comm. c. 1.* dum scribit: *Svevorum* gens est longe maxima & bellicosissima Germanorum omnium. ii centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa suis ex finibus educunt, reliqui domi manent: pro se atque illis colunt, hi rursus invicem anno post in armis sunt,